

Tractatus de hereticis

[f° 1 r°] 1 Principium et origo heresim quomodo sunt.

Notandum quod in Persia fuit quidam qui vocatur Manes, qui ait primo intra se : Si deus est, unde sunt mala ; et si deus non est, unde Bona ? Ex hoc posuit duo principia. Et docuit in partibus Drugontie et Bulgarie et Filadelfie ; et multiplicata est ibi heresis ita quod fecerunt tres episcopos : Drugontie, alius Bulgarie, alius Filadelfie. Postmodum greci de Constantinopolim, qui sunt confines Bulgarie per tres dietas, iverunt causa marcacionis illuc, et reversi ad terram suam cum multiplicarentur, ibi fecerunt episcopum, qui dicitur episcopus grecorum. Postea francigene iverunt Constantinopolim ut subiugarent terram et invenerunt istam secta, et multiplicati fecerunt episcopum, qui dicitur episcopus latinorum. Postea quidam de Sclavonia, scilicet de terra que dicitur Bossona, iverunt Constantinopolim causa mercacionis ; reversi ad terram suam predicaverunt et, multiplicati, constituerunt episcopum qui dicitur episcopus Sclavonie sive Bossone. Postea francigene, qui iverant Constantinopolim, redierunt ad propria et predicaverunt, et multiplicati constituerunt episcopum francie. Et quia francigene seducti fuerunt primo in Constantinoplo a bulgaris, vocant per totam Franciam hereticos bulgaros.

Item provinciales, qui sunt confines illis francia, audientes predicationem eorum et seducti ab illis de Francia, tantum multiplicati sunt quod fecerunt IIII episcopos, scilicet episcopum de Carcasona, et albigensem, et tholosanensem et angenesium.

Post longum tempus quidam notarius de Francia venit in lombardiam, scilicet in comitatu Mediolanensi, in partibus de Concorezio ; et invenit unum qui dicebatur Marchus, qui erat de loco ibi prope qui dicitur Cologina, et seduxit eum. Et ille Marchus locutus est duobus amicis suis, scilicet Iohanni Iudeo et Ioseph. Et nota quod Marchus Igonizator fuit, Iohannes fuit testor, Ioseph faber. Et unus istorum ivit Mediolanum, ad portam orientalem sive Conrenciam, et invenit quemdam amicum suum, qui vocabatur Adricus de Bando, et seduxit eum. Et isti omnes seducti habuerunt consilium cum notario dicto, qui misit eos ad Rocavien —et est locus apud Cuneum—, ubi stabant cathari qui venerant de Francia ad habitandum ibi. Et episcopus hereticorum non erat ibi, sed erat Neapoli. Et iverunt illuc et invenerunt eum ; et ibi morati sunt per annum. Et post, recepta manus impositione, factus est Marchus diaconus ; et misit eum predictus episcopus ad terram suam apud Concoretum, et sic predicavit per se ; et per suas predicationes in lombardia, et postea in Marchia, et postea in Tuscia multiplicati sunt nimis. Postea venit quidam qui vocabatur Papas Nicheta, qui episcopus erat illorum de Constantinopolim, et dixit : "Vos estis tot quod bene expedit quod habeatis episcopum". Et sic elegerunt predictum Marchum in episcopum, cui obediebant omnes supradicti lombardi, tusci et illi de Marchia. Et iste Papas Nicheta confirmavit eum. Post aliquantulum temporis, Marchus intellexit quod Papas Nicheta male finierat vitam suam, et ideo voluit ire ultra mare ut reciperet ordinem episcopalem ab episcopo de Bulgaria. Et quando fuit in Calabria, invenit quemdam diaconum catharorum qui dicebatur Illarius, qui dixit ei quod nullo modo posset ire ultra mare ; unde cepit reverti. Et quando fuit in terra que dicitur Argentea, captus fuit et incarceratus. Et infirmatus ad mortem, misit in lombardiam Iohanni Iudeo et aliis catharis quod eligerent episcopum, quia ipse infirmus erat ad mortem. Et omnes cathari de Lombardia elegerunt Iohannem Iudeum de Concorezo. Et Iohannes Iudeus ivit Argenteam, et fecit se confirmari in episcopum a dicto Marcho. Et reversus est Iohannes Iudeus in Lombardiam. Et post paucos dies Marchum liberatus est de carcere ; et veniens in Lombardia, mortuus est antequam perveniret ad Iohannem Iudeum. Et omnes cathari de Lombardia, tam Iohannes Iudeus quam alii, dubitaverunt quia Papas Nicheta fecerat malum finem, a quo descenderat episcopus Marchus, qui predictum Iohannem confirmaverat. Et hoc audivit quidam Nicola de Marchia, qui volebat et ipse esse

episcopus ; laboravit ponere dissensionem, dicendo catharis : "Quid creditis de domino Marcho ? Creditis quod fecerit bonum finem vel non ?". Omnes dicebant : "Hoc credimus, quod fecit bonum finem". Ipse respondebat : "Iohannes Iudeus dicit quod dominus Marchus fecit malum finem, et propter hoc vult ire ultra mare ut reconsoletur". Et sic divisio facta est inter hereticos in v partibus, secundum quod erant de v locis. Illi de Concorezo tenuerunt Iohannem Iudeum pro episcopo ; illi de Seenzano, qui est locus in diocesi brisicensi, fecerunt episcopum quemdam Philippum, qui post modicum tempus congnoit duas catharas, et sic relictis catharis reversus est ad seculum cum ambabus. Qui Philippus dicitur fuisse talis opinionis, quod nec homo nec mulier a cingulo infra potest peccare. Et de hoc habuit multos sequaces. Illi de Mantua elegerunt quemdam qui vocabatur Caloianus, quo electo et post modicum tempus mortuo, elegerunt Octonem de Bagnolo, et propter hoc dicti sunt Bagnolenses. Illi de Marchia elegerunt supradictum Nicolam, qui discordiam seminaverat inter eos. Illi de Florentia elegerunt quemdam Petrum Florentinum, qui fuit episcopus ibidem et per totam Tusciam.

2. Nota de illor episcopis catharorum in Lombardia.

Notandum quod cathari quatuor habent episcopos in Lombardia. Illi de Cocoreto habent dominum Mandennum, sed primus eorum episcopus specialis fuit Iohannes Iudeus ; post eum Garratus, a quo dicti sunt garratenses. Post hunc habuerunt Nezonium forte annis XL ; post illum habuerunt Girardum de Cambiate, et post Mandennum, quem nunc habent. Albanenses primo habuerunt Philippum, postea Belesmanzam, forte annis XL ; postea Iohannem de Luzano ; post hunc Bonavanturam de Gona, quem nunc habent. Illi de Bagnolo primo habuerunt Coloianum, a quo coloiani sunt vocati ; postea Octonem de Bagnolo, a quo dicti sunt bagnolenses. Postea Andream ; postea Hamundum de Casalialto, quem nunc habent.

3. Quomodo illi concorezo sunt divisi.

Illi qui dicuntur de Francia habent, ut credo, Viventium veronensem. Item notandum quod illi de Concorezo divisi sunt in antiquos et novos. Quidam enim tenent opiniones antiquas cum Nazario, eorum antiquo episcopo. Quidam vero opiniones novas cum Desiderio, condam filio maiore illius secte. Et sic episcopus eorum et filius maior discordant. Nam Nazarius cum suis sequacibus non credebat quod Christus comederit vere de cibis istis materialibus, nec quod Christus vere mortuus fuerit, nec resurrexit. Item credebat quod Christus nullum miraculum fecit materiale in corporibus hominum. Desiderius vero credebat cum suis sequacibus quod vere materialia miracula fecit. Item in hoc concordant omnes cathari quod Christus non descendit ad infernum. Item credencia Nazarii et sequacium eius est quod in Iohanne Baptista ille et idem spiritus fuit qui fuit in Helia, et credit illum spiritum fuisse malignum et demonium. Item Nazarius tenet quoddam scriptum quod secretum vocat. Sed Desiderius cum suis sequacibus non tenet illud secretum sed reputat illud malum. Item Nazarius dicit quod Christus non habuit animam, sed deitatem pro anima. Sed Desiderius et valde pauci in hoc sibi consencientes credunt quod habuit animam. Item Nazarius credit quod Christus non fuit Deus et idem cum Patre in essencia. Item Nazarius dicit quod Christus detulit corpus suum de celo, et quod per aurem intravit in virginem et per aurem exivit, et in ascensione portavit illud idem corpus. Sed Desiderius dicit, quod vere corpus habuit de massa Ade, et beata Virgo habuit vere corpus de massa Ade, et vere mulier fuit. Et dicit quod Christus vere mortuus sit in illo corpore et vere surrexit, sed quando ascendit in celum deposuit illud in paradiso terrestri, ubi beata Virgo est, que nunquam mortua fuit secundum eum. Et ibidem credit Iohannem Evangelistam esse vivum ; et ibi credit esse omnes animas iustorum mortuorum, et hoc affirmat per illud : "Ubi cumque fuerit corpus et cetera". Et dicit quod erunt ibi usque ad

diem iudicii ; et in iudicio Christus resumet illud corpus et iudicabit in corpore illo omnes bonos et malos, et post deponet illud et redibit in pristinam materiam sicut etiam corpora brutorum.

Item omnes de Concorezo credunt prophetas quandoque locutos de spiritu suo, quandoque de Spiritu Sancto, quandoque de spiritu maligno. Et omnes dicunt xvj prophetas fuisse bonos, sed quocumque spiritu loquerentur, semper diabolus ministrabat eis illud quod loquebantur. Sed ex eo quod dictum est quod loquebantur quandoque spiritu divino, dicunt quod Deus habebat in eis quoddam intrinsecum ut loquerentur aliquando ad utilitatem Dei, ut est illud : "Ecce Virgo" et cetera alia que sunt in novo testamento. Sed hoc princeps mundi, idest diabolus, ignorabat. Item nota quod omnes de Concorezo dampnant David et respuunt dicta eius, preter illa que dicta sunt in novo testamento. Item omnes de Concorezo credunt quod illi xvi prophete et omnes alii de vetere testamento qui salvati sunt resurrexerunt in morte Christi, et sunt illi de quibus dicitur : "Multa corpora sanctorum resurrexerunt etc.". Et illi receperunt manus impositionem a Christo, ut dicunt. Item nota quod Nazarius credit quod corona Ade fecit diabolus solem, scilicet de una parte, et de altera fecit lunam ; et de corona Eve fecit lunam et stellas et v stellas que non sunt in firmamento ; et de alia parte credit fecisse sedem ubi Sathanas sedet in celo sidero et inde dominatur toti mundo inferiori preterquam animabus bonis. Et omnes alias stellas credit fecisse ex lapidibus. Et de istis nichil credit Desiderius. Item dicit Nazarius quod sol et luna sunt res animate, et quod quolibet mense fornicantur ; et dicit quod ros et mel sunt de luxuria solis et lune, et ideo nolebat Nazarius comedere de melle. Item nota quod Nazarius et eius sequaces, et illi de Bagnolo, et albanenses intelligunt auctoritates de matrimonio omnes spiritualiter, et illis credunt tantum dictas esse qui sunt intra ecclesiam. Sed Desiderius et sequaces eius intelligunt de carnali matrimonio et dictas <esse> illis qui sunt intra ecclesiam fide tantum sed extra sunt professione, idest credentibus suis. Item nota quod quidam doctor albanensium, scilicet Lanfrancinus de Vaure, dicit, et est opinio albannensium, quod non omnes oves sive anime que descenderunt vel ceciderunt de celo incorporantur, sed alique purgantur in aere isto caliginoso sine corpore aliquo et maiorem penam sustinent quam ille que sunt in corporibus, sed cicius salvantur ; et illi sunt de quibus dicitur in evangelio : "Alias oves habeo que non sunt ex etc."

Item queritur ab omnibus de Concorezo si Deus fecit corpus Ade et si Evam formavit de costa, vel si formavit manum vel corpus tuum per se et sine medio, actualiter et immediate. Si dicat quod sic queritur si proprio verbo Deus Pater hoc fecit, vel si diabolus accepit unquam aliquam potentiam vel aliquid ministerium a Deo, qua porostate vel quo ministerio hoc faceret, etc. Non poterit catharus cooperire errorem suum.

Item nota quod catharus de Concorezo, quando vult cooperire errorem suum, dicit quod Deus fecit Evam de costa, et manum tuam plasmavit et formavit, sed intelligit potencialiter vel quia diabolus habuit potentiam quam habuit naturaliter a prima condicione a Deo, vel quando diabolus, secundum eos, dixit Deo : "Pacientiam habe in me etc.", tunc <Deus> dedit diabolo potentiam formandi omnia.

4. De optione Bagnolensium.

Opinio bagnolensium triplex est. Nam aliqui tenent cum illis de Concorezo ; aliqui tenent quod tenent albanenses ; aliqui tenent meidam viam. Et isti ultimi credunt unum principium. Et dicunt de creacione et formatione sicut illi de <Con>corezo. Sed de angelis qui peccaverunt in celo, dicunt quod alii peccaverunt consenciendo voluntarie draconi, et isti nunquam redibunt neque unquam salvabuntur, et <non> sunt demones nisi isti. Alii fuerunt extracti per draconem violenter, et isti soli salvabuntur alii spiritus, ad supplendam et restaurandam ruinam malorum spirituum qui peccaverunt voluntarie et fuerunt in corporibus a diabolo, spiritus scilicet Ade et Eve. Et illa traducio spiritus ex spiritu est ex natura, sicut corpus ex corpore, et planta ex planta, diabolo tamen operante. Item isiti

bagnolenses omnes penas credunt equales et remuneraciones bonorum sicut illi de <Con>corezo. Isti non credunt Christum verum hominem, neque corpus verum habuisse, sed credunt quod portaverit illud de celo ; neque credunt eum vere passum, neque vere mortuum, neque dolorem aliquem sensisse, neque eum surrexisse : sed dicunt quod sic videatur. Item credunt quod Christus sit minor Patre. Et quod diabolus faciat pluere et ningere, et tonitrua et tempestates, et concitationes ventorum. Et hec est solempnis et communis opinio omnium catharorum. Item nullus catharus ieiunat vigiliam alicuius sancti, neque apostolorum, neque beate Virginis, sed dicit quod meretrix ecclesia romana constituit vigiliam, et hoc propter lucrum ; neque festum alicuius sancti celebrant, neque dominice diei, neque vacant nisi forte propter sacandalum.

5. De impositione manum catharorum.

De impositione manuum omnium catharorum, quam vocant baptismum vel consolamentum, notandum quod semper fit a pluribus, sed in necessitate magna bene fit ab uno solo, et etiam ab una sola cathara. Et dicunt illi de Concorezo, quod nisi tangat eum, cum manus imponitur, in capite vel in scapulis vel alibi, non prodest. Unde et etiam credunt si catharus extenderet brachium et manum per foramen volens consolamentum facere alicui infirmo iacenti in aliquo lecto, qui non posset se movere de lecto, si catharus poneret manum ita prope infirmum sicut nasus est prope os, nichil prodesset nisi tangeret. Sed albanenses bene faciunt consolamentum sine tactu si non potest esse ibi tactus, etiam si distarent ab illo cui fit dummodo possit audire. Unde bene facere<n>t consolamentum etiam si paries vel murus vel fluvius esset in medio ; et ideo diligenter cavendum est quando habemus aliquos suspectos ne cathari infirmantibus appropinquent, vel etiam domibus in quibus detinentur.

Notandum. Primo ille cui debet fieri manus impositio facit tres genuflexiones coram prelato, dicendo : "Benedicite, benedicite, benedicite : boni christiani, precamini quod deus conducat me ad bonum finem et defendat me a mala morte. Rogo vos per misericordiam dei ut faciatis michi illud bonum quod dominus fecit vobis". Et prelatus respondet : "Dominus benedicat te". Ter dicit hoc. Postea subdit : "Libenter faciemus tibi illud bonum quod dominus fecit nobis, secundum quod dominus dederit nobis gratiam". Et tunc exponit ei ea que oportebit eum servare. Et si ille dicit se esse paratum ad omnia, porrigit sibi librum prelatus, scilicet testamentum novum vel evangelium. Et ille suscipit et tenet per medium pectus librum, scilicet clausum, Et tunc prelatus dicit : "tu modo accepisti testamentum ubi scripta est lex divina, que per totum tempus non debet separari de tuo corde". Et ille respondet : "Precemini deum quod det michi gratiam servandi, quoniam ego habeo in voluntate semper servandi". Et tunc reddit ei testamentum et facit tres genuflexiones, dicendo : "Adoremus patrem et filium et spiritum sanctum, et ad sanctam ecclesiam et ad bonos christianos, et confiteor coram vobis omnia peccata mea que comissa sunt in me ab origine meo, quod precemini dominum quod parcat michi et vos tantum quantum potestatem habetis a domino et a sancta ecclesia". Et tunc surgit. Et prelatus ait : "Qui habet potestatem in celo et in terra dimittat tibi omnia peccata tua et nos tantum quantum habemus potestatem a deo et a sancta ecclesia". Et tunc prelatus ponit testamentum super caput eius et manus super scapulas ; et omnes cathari professi similiter faciunt sibi. Tunc ait prelatus : "Domini deus, indulge servo tuo omnia peccata sua et recipe eum ad tuam iusticiam". Et post dicit idem prelatus alte vii vicibus Pater noster ; et ceteri dicunt idem similiter, et ille similiter cui fit manus impositio. Et post prelatus ait ter : "Adoremus patrem et filium et spiritum sanctum". Et ceteri respondent : "Dignum et iustum est". Et prelatus dicit Pater noster, et ceteri similiter, ut supra. Post ait prelatus : "Adoremus patrem et filium et spiritum sanctum". Et ceteri respondent : "Dignum et iustum est". Et prelatus tunc dicit ewangelium In principio erat verbum alte, vel ewangelium Mathei Tollite iugum meum. Finito ewangelio, dicit prelatus : "Gracia domini

nostri Ihesu Christi semper sit cum omnibus nobis". Et illi respondent : "Amen" et Prelatus ait : "Benedicite, parcite nobis". Et omnes respondent : "Pater et filius et spiritus sanctus dimittat nobis omnia peccata nostra". Et omnes alii dicunt prelato : "Benedicite, parcite nobis", ut supra. Tunc deponit testamentum de capite illius ; et tunc ponitur in numero catharorum. Et dicunt ei : "A modo eris inter nos et penitus in hoc mundo sicut ovis in medio luporum" et statim faciunt duplam.

6. De dispositione penitencie catarorum.

Notandum IIIJor differentias in iniunctione penitenciarum omnium catharorum. Nam de peccato manifesto et mortali dat prelatus eorum per tres dies continue ad trapassandum¹ – sic enim vocant –, idest quod ille qui peccavit nichil penitus commedat vel bibat illis tribus diebus ; et post iniugit sibi prelatus tres quadregenas in pane et aqua. Et nota quod omnes cathari faciunt tres quadregenas, sed ille cui iniuncta est dicta penitencia pro mortali debet facere quod sue quadragene non veniant inter illas quadagenas quas alli communiter faciunt. Ammittit perpetuo prioratum suum, neque umquam faciet alicui manus impositionem, nisi in necessitate. Secunda differentia, quod si peccat quis mortaliter occulte, reconcilietur, et dantur sibi XXVIJ dies ad trapassandum, idest quod non commedat vel bibat, sed non continue. Et non ammittit prioratum, sed prelacionem sic ; nec unquam faciet alicui manus impositionem nisi in necessitate. Tercia differentia est, si quis desideret et velit omnino facere aliquid quod secundum eos sit mortale peccatum, non tamen faciat, dantur sibi VIJ dies ad trapassandum non continue ; et ponitur in voluntate sua si vult reconcilari vel non ; tamen bene ammitteret prelaturam, non tamen prioratum. Quarta differentia est de cotidianis peccatis, de quibus contentur, unus pro omnibus, semel in mense, sicut dicitur in summa fratris R(aynerii) ; et dantur sibi tres dies in pane et aqua. Et isti dicuntur dies servicii.

7. De abstinentia catharorum.

Communis abstinentia est in eis quia quilibet catharus cuiuslibet secte ieiunat tres dies in ebdomada, scilicet die lune, et mercurii et veneris. Et dicunt hominibus quod ieiunant in pane et aqua, sed non est verum, quia abstinent tantum a vino et ab oleo et a piscibus et a cancris, et omnia alia commedunt que aliis diebus commedere consueverunt. Item communiter faciunt omnes cathari tres quadragenas. Unam incipiunt quando nos incipimus XLam, et durat usque pascha. Secundam incipiunt prima die lune post pentecosten, et durat usque ad sanctum Petrum. Terciam incipiunt prima die lune post festum sancti Martini, et durat usque ad navitatem Domini. In prima faciunt duas septimanas quas appellant strictas, scilicet priman et ultiman. Et est ratio eorum quare appellant eas strictas, quia non audent bibere vinum, neque leguminas commedere, neque oleum. Sciendum etiam quod in tribus quadragenis non commedunt pisces, neque cancris, nisi in gravi infirmitate. In aliis duabus non faciunt nisi unam septimanam strictam pro unaquaque, scilicet priman septimanam.

8. a) De tempore <manducationis>.

Quando coquus paravit cibum accedit ad ancianum et dicit : "intelligite si placet deo et vobis". Et ancianus respondet : "Dominus intelligat te si placet ei". Et coquus dicit, flectendo genua profunde : "Benedicite". Et ancianus respondet : "Dominus benedicat te". Et secundo coquus hoc idem facit, dicendo idem. Et ancianus respondet : "Dominus benedicat te". Et coquus IIJo, genua flectendo, dicit : "Benedicite, parcite nobis", si est

1 De l'italien trapassare.

hereticus professus ; sed si est credens tantum, dicit : "Benedicite ; boni christiani, precemini dominum quod perducat me ad bonum finem et liberet me a mala morte". Et subdit : "Et prandium est paratum : quando placet deo et vobis, potestis ire comedere". Et ancianus ille respondet : " Dominus reddat vobis bonam mercedem". Et statim ille ancianus vocat illos catharos et dicit : "Faciamus aliud". Et statim incipit orare sic dicendo : "Benedicite, parcite nobis". Et omnes alii respondent : "Pater et filius et spiritus sanctus dimittat nobis et parcat omnia peccata nostra". Et postea dicit ter : "Adoremus patrem et filium et spiritum sanctum". Primo dicit alte, secundo silenter, IIIo alte. Et omnes cathari respondent : "Dignum et iustum est". Et tunc omnes dicunt XIII Pater noster, quo finito Pater noster quarto dicimus, dicit : "Adoremus patrem et filium et spiritum sanctum", illo modo quo ante dixerat. Et omnes alii respondent : "Dignum et iustum est". Et post omnes dicunt unum Pater noster. Quo finito, <ancianus> dicit adhuc ter Pater noster, "Adoremus patrem et filium et spiritum sanctum". Et illi respondent sicut ante. Et ancianus ait : "Gratia domini nostri Ihesu Christi sit semper cum omnibus nobis". Et omnes respondent : "Amen". Et postea ancianus dicit : "Benedicite, parcite nobis" et respondent illi : "Pater et filius et spiritus sanctus", ut supra. Et isto modo orant XV vicibus inter diem et noctem.

b) Quomodo se habent ad messam.

Quando omnes iam sedent ad mensam, appositis ad minus pane et vino, vel aqua pro tempore, omnes surgunt. Et ancianus accipit unum panem et incidit illum non dividendo, et dicit : "Benedicite, parcite nobis". Et omnes respondent ut supra. Et sic dicunt omnes Pater noster. Quo finito, ancianus dicit : "Adoremus patrem et filium et spiritum sanctum". Respondent ut supra. Et ille ait : "Gracia domini nostri", ut supra. Et illi respondent "Amen". Et post ancianus ait : "Benedicite, parcite", ut supra. Et post dat omnibus de pane illo, et credentibus et aliis. Et si superfuert de pane non facit mere si detur porcis.

9. Quomodo se habent eundo ad domun alicuius.

Quando aliquis catharus cuiusque secte vel credens intrat domun ignotam aliquorum catharorum, et maxime cum nesciat qui sint cathari de illis quos invenit ibi, ait : "Bessea trona ! Possumus facere de nostro melioramento ?" vel dicit sic : "Est hoc lignum tortum". Et tunc si est ibi aliquis qui non sit de credencia eorum et de quo timeant, ancianus respondet : "sedete". Et per hoc intelligit ille qui venit, quod aliquis est ibi de quo timent. Si vero nullus est ibi de quo timeant, respondet ancianus : "Faciatis quod vultis". Et tunc ille qui venit dicit : "Intelligite si placet deo et vobis". Et ancianus respondet "Intelligat nos deus si placet sibi". Tunc ille qui venit inclinatur se et facit veniam profunde. Et dicit : "Benedicite". Secundo inclinatur se et dicit : "Benedicite, parcite nobis", si est catharus professus ; sed si est credens tantum, dicit : "Benedicite, parcite nobis, boni christiani, precemini deum ut perducat me ad bonum finem et liberet me a mala morte". Et ille respondet : "Dominus benedicat nos et custodiat nos un servicio suo", si est perfectus ; sed credenti respondet : "Dominus perducat te ad bonum finem et scampet te a mala morte". Et tunc surgit et facit sibi caron², idest quamdam amplexionem, ponendo caput semel ad dexteram et semel a sinistram. Et hoc apellant caron.

11. Summa fratris Raynerii condam de ordine predicatorum.

Cum secte hereticorum olim multe fuerint et diverse, que omnino fere destructe sunt per gratiam Ihesu Christi, tamen due principales modo inveniuntur, quarum altera... [Manque les ff° 5 r° à 11 r°] ... et salvabantur. Item dicunt quod infantes salvantur sine baptismo.

² Italianisme. Il s'agit d'une expression qui a pour racine le latin *caritas*, qui signifie, charité, amour ou paix. Il s'agit donc du baiser de paix, bien attesté dans la documentation inquisitoriale.

Anno domini M° CC° I° compilatum est fideliter per dictum fratrem R(aynerium) opus superius annotatum.

13 Secretum de Concorezo.

"Ego Iohannes frater vester et particeps in tribulatione etc.". Habeo aliud <exemplar> huius secreti, et ideo hic sufficit etc. "Hoc est secretum hereticorum de Concorezo portatum de Bulgaria plenum erroribus" et etiam falsis latinis. Isti portaverunt heresim in Lombardia a Neapoli : Marchus, Iohannes Iudeus, Ioseph et Aldricus, circa tempus quo currebat MCLXXIIIJ.

14 De examinacione hereticorum.

M°CCLXVJ, indictione tali, die tali VJ mensis talis, in tali loco, presentibus talibus etc. Presente fratre tali inquisitore hereticorum etc. Petrus de tali loco et alii interrogati a predicto fratre si credunt esse duos deos seu dominos ab eterno et sine fine, responderunt : "sic credimus". Item interrogatus predictus Petrus si credit unum de predictis, alterum esse bonum ab eterno et alterum esse malum, respondit quod sic. Item interrogatus si uterque predictorum deorum habet et habuit ab eterno sine principio et sine fine suum mundum sive regnum, respondit quod credit sic. Interrogatus si illud celum visibile et luna et stelle que in eo sunt, et ista terra similiter et ea que in ea sunt, scilicet bladum, vinum et alia commestibilia, et corpora humana et alia animalia que videmus nostris oculis carnalibus sunt de regno dei omnipotentis et creata et facta ab ipso bono deo, respondit quod omnia visibilia sunt de regno diaboli et omnia predicta a diabolo sunt facta. Interrogatus quomodo mundus sit ab eterno secundum opinionem eius et tamen dicit quod est factus a diabolo, respondit : "Nescio reddere rationem de hoc vel super hoc". Etc.

19 <De ministris albanensium et concorrezentium>.

Episcopus secte albanensium Bonaventura de Verona. Hic mortuus est.
Filius maior Bertholus de Verona. Hic conversus est modo.
Filius minor Henricus de Arusio. Nunc est episcopus.
Diaconus de Pergamo Lanfrancus de Brixia.
Diaconus de Seprio Ventura de Pergamo.
Diaconus de Papia.
Diaconus de Brixia Petrus de Papia. Hic Cremone combustus est.
Diaconus de Alexandria Octo Balistorius.
Diaconus de Cremona Iohannes Vulnerus.
Diaconus de Placentia Lauterius.
Diaconus de Verona Albertinus de Regio.
Episcopus secte illorum de Concorezo Ubertus Manderius.
Filius maior Petrus de Limadi.
Filius minor Lanfrancus de Brixia.
Diaconus de Laude Odonus de Placentia.
Diaconus de Placentia Girardus de Cremona.
Diaconus de Alexandria Petrus Pastor de Alexandria.
Diaconus de Brixia Laurencius de Gradi.